



~~SM.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
VI-73. ———
SIGNAT. cIbIbCCCXIII.



48

POSITIONES MISCELLANÆ,

Quas
DEO

Et

Philosophorum Senatu
annuentibus

In Academia VVittenbergensi

PRÆSIDE

M. HENRICO SCHMIDIO

Bremensi,

publicæ atq; placidæ ventilationi submittit

RESPONDENS

NICOLAUS VVITTE Hamburgensis.

Ad diem 4. Maji An. 1670.

In Auditorio Philosophorum
horis pomeridianis.

VVITTEBERGÆ,

Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.



I.

Philosophi nuncupatione primus usus perhibetur Pythagoras Samius. Ultra, quam par est, tamen modesti in hoc negotio esse volunt, qui nomen Sapientiae ideò fugiendum esse putant, quod solus DEUS sapiens. Inter hos est Derodon, qui in Procem. Log. restituit. loco 1. Tim. 1. 17. abutitur.

II.

Nec terminus rationis nec Sapientia carnis Rom. 8. 7. sunt Philosophiae Synonyma. Ad Colofs. II. 8. de Philosophiae abusu sermo est.

III.

Nec ea, quae in aliis habitibus non considerantur, nec ea, de quibus & in quantum de iis egerunt Philosophi, adaequatum Philosophiae objectum constituunt.

IV.

Omne illud à Philosophia excluditur, ad quod cognoscendum homo sibi relictus pertingere non potest. M. Paulus Slevogtus disp. de Lum. naturae in divinis thesi I. hominem ad imaginem Dei esse conditum naturam notum statuit, scribit enim hoc ratione cognitum est quod antiquissimis temporibus Sibyllarum versibus proditum est; *εἰκὼν δὲ ἀνθρώπου ἐμὴ λόγον ὀρθὸν ἔχουσα*. At quis est, qui imbecillitatem huius argumenti non miretur?

V.

Scripturam Sacram in Philosophia non firma praebere argumenta cum uniformi ejus auctoritate pugnat contra Zapffium Tab. I. de Phil. in genere & alios.

VI.

Liberè Philosophandum, sed ita, ne libertas in proterviam vertatur.

VII.

Gallorum Druides *μετεμψύχων* statuerunt teste Caesare lib. 6. de bello Gallico, Slevogto disp. de *μετεμψύχων* Ju. x. m. th. 20.

VIII.

Græcorum Philosophia multis nominibus Barbaricæ: utriq; hodierna nostra praefertur.

IX.

Dogma de duobus principiis DEO & Materia prima sibi ab omni aeternitate coævis & independentibus, totius Philosophiae gentilis fundamentum.

damentum est. Auctor quoque libelli Præ-Adamitici Isaacus Peyrerius pessimè culpam peccati humani in materiam conjicit. Comparatio DEI cum artifice & hominis cum horologio vitio materiæ vitium contrahente, non quadrat.

X.

Syncretismus Philosophicus non magis placet, quàm cordatis Theologis, Theologicus.

XI.

Principium Cartesii DE OMNIBUS DUBITANDUM, nomen principii non meretur.

XII.

Pontificiorum *supra* de removenda Logica in disputationibus nobiscum habendis, quod primus videtur Jesuita Gunterus in Colloq. Durlacens. A. 1612. prodidisse; perfecit verò Verronius, merum commentum est.

XIII.

Propria à suis subjectis, per Omnipotentiam DEI separari possunt.

XIV.

Scientia media non est monstrosa & prodigiosa scæditas, efficta ad declarandum divinæ prædestinationis mysterium, neque recens inventum ante paucos annos à Lojolaë posteris suppeditatum, contra Gisb. Voëtium.

XV.

Dari Mathesin universalem (de qua, post Eutocium Ascalonitam, Adrianus Romanus Lovaniensis, Eques Auratus ac Medicus Cæsareus primum cogitasse dicitur) probamus cum Vieta, Magn. D. Calovio, Linnemanno, Nothnagelio, contra Watsonium in unione sapientiæ sect. 3. part. 1. p. 117.

XVI.

Absolvebatur olim Arithmetica varia perplexitate per calculos & difficiles digitorum flexuras vid. Laur. Arithm. l. 1. c. 3. sect. 3. hodie tota Arithmetica facilius beneficio aliquot figurarum perficitur, imò ne quid facilitati desit, excogitata sunt varia instrumenta, per quæ jucundo lusu numerorum habitudines ad invicem oculis videri possunt; quale est Rhabdologia Neperiana, circulus Arithmeticus & Arithmetica Scachica.

XVII.

Divisionem Arithmeticæ in Vulgarem, Logisticam Astronomicam & Algebram rejicimus.

XVIII.

Cum quinque ponuntur Arithmeticæ species, loquendum est cum vulgo & sentiendum cum eruditis. Duplatio & Mediatio non sunt distinctæ species.

XIX. Modus

XIX.

Modus operationem additionis probandi per abjectionem novennarii tam per se, quàm per accidens ratione artificis fallit.

XX.

Opinio eorum, qui per tubum Opticum putant se vidisse novum quendam orbem in luna, est lunatica. Hevelius in admirando opere Selenographiæ Selenitas tantum ex hypothesis ponit.

XXI.

Qui pro Ethnicis siderum denominationibus biblicas substituunt, Præcisitati Voëtianæ proximi sunt.

XXII.

Epocha Christiana inter *δύσπορα καὶ δύσκολα*, non tamen ἀπορα censenda, contra Spanhemium parte 2. dubiorum Evangelicorum p. 55. & Voëtium part. 2. Select. disp.

XXIII.

Mensis Hainlini mysticus absurdum somnium est.

XXIV.

Correctio Thematis per accidentia Nati, correctioni per Trutinam Hermetis, præfertur.

XXV.

Pontificii tempore quadragesimalis jejunii jejunantes, non sunt dicendi temperantes.

XXVI.

Papa Sylvester IIus antea dictus Gilbertus Othonis IIIii & Roberti Regis Gallia Præceptor, quia in disciplinis Mathematicis peritissimus eo tempore, quo summa in Physicis & Mathesi ignorantia, pro Mago habitus est, uti ex probatissimis Auctoribus probat Magnus ὁ οὖν ἐν αἰγίοις Dieterichius in Othone III. p. 9. 10. seq. Cum verò hunc Papam à magia excusamus, alios in catalogo Paparum Magos inveniri, non negamus.

⚔: (o) : ⚔



Ung VI 73


ULB Halle

3

004 108 515







48
ONNES
ANEÆ,

Senatu

ttenbergensi

E
CHMIDIO

tioni submittit

NS

TE Hamburgensis.

.1670.

phorum

is.

GÆ,

II, Acad. Typogr.